

<sup>regionum</sup>  
Umbilici varii.

# VALEDICENTEM

CRASTINO DIE

HORA LOCOQVE CONSVETO  
DISCIPULUM NOSTRUM


UT

AUDIRE DIGNENTUR,

VENERANDOS DNN. INSPECTORES,  
PATRONOS, FAUTORES,  
AMICOS,

QVA PAR EST MODESTIA;  
ROGAT ET INVITAT,

M. GEORGIUS ANDREAS *Binhold*  
RECTOR.



CYGNÆ,  
Literis Viduæ BÜSCHELIANÆ.

*Phys. III.*

*116  
J. Lorenz in Gellio  
Cord. J. Dr. Dr. Dr.*

Astron.  
565,24





Um centrum omne in sphaera illud sit, à quo tanquam fundamento cunctæ lineæ ducuntur, quodque vicissim extremæ globi partes æquali ambitu continent: inde adeo jam olim inter homines excellentis ingenii disceptatum legimus, terrane in medio mundi sita esset, an sol, qui suo lumine terram illustrat? Priorem quidem sententiam amplexati sunt quamplurimi, quos partim prisca tulerunt secula, magnaque exornatos laude posteris reliquerunt; partim etiam recentiora tempora produxerunt, quorum profecto doctrina, studio, investigandique solertia & sagacitate non minor ad literarum gloriam usura redundavit. Etenim ne pluribus enumerandis nominibus tempus teram, sive Plinium audiamus paribus dierum noctiumque fidentem spatiis: facile nobis subtilis investigator persuadet, terram totius mundi mediam constitui oportere. Nisi enim ista in medio esset, æquales dies noctesque haberi non posse æquinoctii tempore certum est: cum tamen ex eadem tanquam linea orientis cadentisque diei jubar tunc perpetuo cernatur: neque, ubi solem stare boreamque cupidior oculo adspectare contingit, dies illi ardentissimi inter se æquarentur: cum tamen eorum ortus, perinde ut brumæ occasus, semel sibi præfixa meta par ubique atque immotus deprehendatur. (a) Sive Tychonem Braheum attendamus, universam rerum compagem ita aptantem itaque disponentem, ut terra quidem quiescere in centro mundi, luna vero & sol & totus stellarum fixarum chorus circum eam ut proprium suum centrum moveri videatur: (b) eo magis dubitatio tollitur, quo magis dubium, Plinius rerum nascentium, an Tycho cœli siderumque fuerit peritior. Præsertim cum terra ipsa gravitate sua ac pondere ad totius machinæ mundanæ cor velut collapsa, quo semel pervenit, quieta maneat, cœlique circuitus undiquaque æqualibus quasi brachiis attingens atque ambiens telluris molè fulciat ac sustineat: cumque præterea facies eadem stellarum in toto orbe conspiciatur: neque minus tempus ante meridiem nullo discrimine differat ab illo, quod horas pomeridianas absolvit. (c) In quo fanè Danus ille Atlas Apollonium videtur secutus, qui solem delegit, circa quem ut centrum suum non Mercurius modo & Venus, sed & Mars, Jupiter & Saturnus cursus suos conficerent, dum sol interea cum luna circum terram mundique medium volveretur. (d) Contra ea Nicolaus Copernicus Thorunensis, cum Pythagoreos terram ab honore centri removisse intelligeret, inque medio, nobilissimo omnium loco, solem locavisse: solem & ipse in centro ponere circaque eum terram ciere non dubitavit. Quare ille mundi oculus ipsi existit medius, tanquam lucerna terrarum, totam stellarum familiam circumjectam regens virtute sua. Proximas deinde partes Mercurius tenens tribus prope mensibus, & Venus novem circumducitur. Tum demum exacto anno terra perficit circuitus suos. (e) Hæc quidem de terræ sede ac centro mota disceptatio ad alia in ipso centro patefacta centra nos deducit. Veteres enim in terra, quæ, si cum cœlo conferatur, puncti instar habet, puncta nova excogitaverunt, à quibus metiendi supputandique initium facerent. Non ea loca terræ dico, ubi quorundam opinione medium fuit constitutum. Quemadmodum superba Tyrus quondam ita maritimis ambiabatur fluctibus, ut in corde maris collocata videretur. (f) Aut uti Thales Milesius unam quandam curiam communem esse voluit inter Jonas, & propterea Teum civitatem proposuit huic rei aptissimam; eo quod Teos in media esset Jonia. (g) Aut sicut Apenninus Italiæ medius habetur. (h) Ea nunc afferam loca, quæ singulari nomine appellabant umbilicos;

non

(a) *Plin. H. N. l. 2. c. 69.* (b) *Gassend. in vita Tychonis l. 3. p. 77.* (c) *Mich. Neandr. elementa doct. spher. p. 41.* (d) *Gassend. in vita Nic. Copernici.* (e) *Gassend. l. c.* (f) *Quensted. d. patr. illustr. p. 517.* (g) *Herod. Cliv. c. 170.* (h) *Stephan. d. urb. & popul. sub Apen.*



non eo sensu, quo pratum, ubi rapta juxta Aetnam Proserpina, à superiore parte admodum planum, aquis redundantibus & præcipitiis undiq; abscissum, à nonnullis Siciliae umbilicus dicebatur. (i) Neque ut literati, Poëtae cum primis, quoties perfectum opus significant, illud ad umbilicum perductum esse prædicant. Quales umbilici, interprete Porphyrione, ornamenta quædam sunt ossea aut lignea aut cornea umbilici humani formam imitantia, quæ voluminibus jam completis perfectisque addi solebant. Alii pro iis, quæ fibularum instar opera claudebant, umbilicos hic accipiendos putant. (k) Multo minus Crentensem agrum ex fabulis producant eodem nomine à Jove infante insignitum. Fingunt enim, cum Jupiter à Curetibus infans ferretur, umbilicum ejus juxta Tritonum fluvium cecidisse; ex quo eam oram Deo sacram ab eo, quod ibi acciderat, Omphalum i.e. umbilicum, agrum autem propinquum vulgo Omphalium cognominari cœpisse. (l) Sed umbilici appellatio illud in præsentem denotat, quod est in æquali spatio medium. Ita enim antiquitas naturæ modum imitari studens media omnia cum eo comparavit, quod in corpore humano medium fere deprehenditur. Sic de umbilico urbis Romæ Geometris non convenit in pernoscenda ejus magnitudine; aliis negantibus, in urbis medio fuisse milliarium, à quo mensura currat: aliis idem ab umbilico urbis distinguuntibus. (m) Et in media linea designabatur umbilicus in secandis partiendisque agris. Per umbilicum enim transcurrere non tantum linea, quæ ab exortu ad occasum extendebatur, ubi limes ita secans agrum decumanus audiebat: sed & per eundem duæ lineæ in decusses obliquæ fiebant ita, ut à Septentrionis dextra lævaque ad dextram & lævam Austri descenderent. (n) Solymorum urbs, dum pietas in pretio esset, sanctissima in medio Judææ, imo & totius terræ habitabilis, & ut umbilicus posita credebatur. Quam proinde divinus vates  $\text{וְיָסֵדוּ אֶת־הַיָּם}$  (o) & antiquitatum Judaicarum conditor  $\text{ὀμφαλὸν τῆς γῆς}$  i.e. umbilicum terræ vocarunt. (p) Congruè tantis viris Augustinus: *In Judæa, inquit, populus Dei erat positus quasi in medio mundo, ubi dicebantur laudes Deo, eique sacrificia offerebantur, ubi Prophetia non cessabat canendo futura, quæ modo videmus impleri. Iste populus quasi in medio gentium erat. Attendit Propheta ista & vidit, futuram Ecclesiam Dei in omnibus gentibus. Et quia omnes gentes circum undique erant, quæ in medio ponebant unam gentem Judæorum, hinc undique circumstantes gentes appellavit civitatem circumstantie.* (q) Amama terrarum tractus locorumque intercapedines etiam ostendere ad rei faciendam fidem nisus est; quippe qui Oceanum Indicum ad Orientem à Palæstina non minus ait distare, quam ad Occidentem Hispanicus, Gallicus & Britannicus abesset. Cumque ad meridiem vastus Oceanus esset eo loci, ubi Aethiopiæ & Africæ magna pars cingeretur, & ad Septentrionem mare glaciale conspiceretur, idcirco in medio positam videri Judæam & caput regionis, urbem Hierosolymam. (r) Rationem mysticam hujus rei Hieronymus hanc ulterius suppeditat: *quod Judæa à partibus orientis cingatur plaga, quæ appellatur Asia: à partibus occidentis ea, quæ vocatur Europa: à meridie & Austro Libya & Africa: à Septentrione Scythia, Armenia atque Perside atque cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium positam, quia Deus in Judæa notus fuerit & in Israel magnum ejus nomen: omnes in circuitu nationes ut sequerentur exempla.* (s) Et vere in medio quasique illustri orbis teatro, ut esset universi Academia. (t) Præter urbem Solymam & alia loca vicina umbilici nomen ferebant. Nam locus ille, quo Jacobus Patriarcha scalam cœli per quietem viderat, mediam terræ partem occupasse existimabatur, (u) Golgatha ex omni orbe locus medius habitus est. (vv) Quam opinionem veterum Christianorum de medietate Hierosolymæ imprimis ceber. Cellarius non irridendam putat. (x) Et recentioribus quoque seculis eam obtinuisse, oratio Urbani II. Pontificis Maximi indicat, qui Claromontii hanc

(i) Diodor. Sic. l. 5. c. 2. Biblioth. (k) Epigrammata Græca. (l) Diodor. Sic. l. 5. (m) Vincenz. Contaren. var. lect. c. 12. (n) Plin. H. N. l. 18. c. 34. (o) Ezech. 5. 5. (p) Josephus l. 3. d. bell. Jud. (q) Tom. 3. in Ps. 36. (r) in Antikarb. bibl. p. 789. (s) Comment. in Ezech. 5. (t) Ursin. Analect. sacr. l. 4. n. 10. (u) Eutyrius tom. 2. annal. Alexandr. (vv) Kistorin. Pieltav. carm. d. cruce. (x) Geogr. antiq. l. 1. c. 4.



hanc causam affert, quare Galli bellum sacrum contra Turcos suscipiant, quod Hierusalem esset umbilicus terrarum. (y) Inter profanas gentes Græci eminent, qui de templo Delphico gloriati sunt, quod umbilicus foret non solum Hellados, sed & totius orbis, ac tanquam medium terrarum. De quo præter Pindarum, (z) Euripidem, (aa) Sophoclem, (bb) perspicue docet Strabo, quod fere in medio totius Græciæ situm, quæ & extra Isthmum & intra est. Quin etiam in medio totius orbis habitabilis positum putavere, ideoque umbilicum nominarunt. (cc) Neque minus facundissimus rerum Romanarum scriptor, Delphos quondam, commune humani generis oraculum, umbilicum orbis terrarum, Gallos spoliasse, memoriæ prodit. (dd) Propterea Delphos facile conveniebant Græci, maxime finitimi, ex quibus postea Amphyctionicum constitutum est consilium, quod & de rebus inter eos communibus conjunctis consiliis deliberabat, & templi præcipue communem curam suscipiebat. (ee) Origo autem Delphorum mediolorum fabulis Poëtarum (ut alia non pauca vetustatis) debetur. Effinxere scilicet antiquitus, Jovem, ut exploraret medium punctum imperii sui, duas aquilas (Strabo duos corvos, Plutarchus duos cygnos nominat) emisisse, alteram ab ortu, ab occasu alteram, quæ continuo volatu agitata postremo Delphis convenerint. Unde in ejus rei memoriam duas aquilas aureas in templo Delphico asservatas, lapidemque candidum erectum pariter, quem omphalon seu umbilicum dixerunt, satis constat. (ff) Ennam urbem Siciliae in ipso Insulae umbilico ædificatam affirmat quidem Bochartus, sed Diodorus, ut supra demonstravimus, non medietatem, sed situm figuramque loci respicit. (gg) Hispaniæ umbilicus quidam est & centrum totius regni Toletum, Archiepiscopalis sedes, quoniam illac transeundum sit, sive ad solem orientem, seu occidentem versus iter facias, sive ad meridiem dirigas cursum, aut ad septentrionis plagam, usque eo, ut ii, qui prædicandi Evangelii causa totum regnum illud peragrare debebant, semper Toletum transire necesse habuerint. (hh) Bohemiam Europæ umbilicum vocitari passim, mediamque Germaniæ Bambergam æstimari, tritum arbitror. Venetiis vero præcipuus cernitur Euripus, (Canalem magnum vocant) qui totam urbem interfecat & circa medium ligneo ponte maximo tabernis tanquam spondis constipato jungitur. Isque pons Rivi Alti in urbis umbilico propemodum situs dicitur. (ii) Quamvis autem ex Geometria nulla dari ratio possit, cur hic vel ille locus punctum debeat constituere, cum, quod rotundum est, æqualem ubique superficiem habeat, in qua pro arbitrio punctum facere licebit: nobis tamen non incommodum visum est, antiquorum cogitata ea in re breviter hoc loco indicare, ut virtutem, cujus gratia iste sermo institutus est, eo illustriorem poneremus. Et sane non opprobrio fuerit virtuti, media rerum naturalium spatia si cum ea contulerimus. Nam si terram fertilē in centro posuit Deus: (kk) virtus omnes omnium fecunditates superat; omnia adsunt bona, penes quem est virtus. Si umbilicos olim in vertice capitis gestatos legimus; virtus certe vivit in hominibus excelsis cum altitudine quadam animi semper conjuncta. Si Enna, umbilicus Siciliae, irrigua extitit fontibus: (ll) Virtus nunquam indiget, ipsa merces sibi pulcherrima, sed latissime dimanat. Si scuta prisca umbilicis notarunt in majus ornamentum: (mm) Quid virtute formosius; quid pulchrius? Si libros umbilicis clausos majoris æstimabant: jam & nihil virtute amabilius, nihil, quod magis alliciat homines ad diligendum. Si in mensa Isiaca Aegyptiorum mediam partem tenebat umbilicus: (nn) Virtus, quicquid obtendatur à quibusdam eruditis, in mediocritate consistit. (oo) De hac igitur mediocritate dicet, illud Ovidianum expositorus: medio tutissimus ibis,

PAULUS GUNTHERUS, Ebesbrunnensis valedicetq; Scholæ nostræ.

Valedicentem bonis verbis dimittet

SIGISMUNDUS SCHMIDERUS, LangenRensdorffensis,

P. P. Cygneæ, d. 13. Maj. 1703.

(y) Rob. Monachus l. 1. Bell. Contr. Turc. (z) Pyth. carm. 6. (aa) Jone v. 223. (bb) Oedip. v. 488. (cc) l. 9. Geogr. (dd) Liv. l. 38. c. 34. (ee) Budeus in not. ad Pandect. p. 282. (ff) Claudian. Prolog. Panegy. d. Consul. Mall. Theodor. Pausan. in Phoc. (gg) Geogr. sacr. l. 1. sc. 28. P. 2. (hh) Lintprand. Chron. p. 579. (ii) Casp. Contaren. d. rep. Venet. c. 22. (kk) v. proposit. 24. Elem. Geogr. Euclid. amant. fratris mei. (ll) Bochart. l. c. (mm) Eustath. Hom. (nn) Laur. Pignorius expos. mens. Isiaca. (oo) v. Disp. Joh. Christ. Geier. d. mediocrit. virtut. moral.